922.2
Z12c

Cremensium Episcporum Series

Zaccaria



LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF ILLINOIS

922.2
Z12c

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://archive.org/details/cremensiumepisco00zacc

CREMENSIUM EPISCOPORUM SERIES

A FERDINANDO UGHELLIO primum contexta,
deinde a NICOLAO COLETO paululum aucta,

NUNC

A FRANCISCO ANTONIO ZACCARIA S. J.
ATESTIÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTO
Illuſtrata, emendata, atque in hunc diem
perducta.

EXCUDEBAT BRIXIÆ
JOANNES MARIA RIZZARDI CIƆIƆCCLXIII.
PRÆSIDUM FACULTATE.

22.2
12 c

NOBILISSIMO VIRO

ERNESTO COMITI GRIFFONIO
DE SANCTO ANGELO
EQUITI MELITENSI

FRANCISCUS ANTONIUS ZACCARIA S. J.
Felicitatem.

QUod Tibi patriæ tuæ amantiſſimo in votis jampridem fuit, habes hic, VIR NOBILISSIME, *Ughellianam Cremenſium Antiſtitum ſeriem emendatam, auctam, inque hunc diem perductam. Verum ne mirere quid ſit, cur illa ſub tuo potiſſimum nomine appareat. Non ego heic generis tui amplitudinem, non tuum, Familiæque tuæ univerſæ in meam Societatem amorem, non ſingularem, qua Civibus omnibus, ut me ſuperiore verni jejunii tempore de ſuggeſtu dicentem frequentiſſimi audirent, nonagenarius ſenex exemplo præiviſti, humanitatemne dicam, an religionem? In medium adferam; quæ etſi quidquid*

LIBRARY

id eſt erga Te officii a me poſtulabant, vix tamen ſine modeſtiſſimi animi tui offenſione commemorari a me poſſent. Cauſſa in promptu eſt, quam qui norint, opuſculum hocce uni Tibi inſcribendum intelligant; quod autem norint, tute ipſe glorieris. Epiſcoporum nempe, quos heic percenſeo, nullus eſt, qui ampliorem ſibi, Patriæ, Eccleſiæque ſuæ famam conciliarit, quam FAUSTINUS JOSEPHUS GRIFFONIUS, *Frater, inquam, tuus ille Sanctiſſimus, quem viventem incredibili quodam amore proſequebaris, mortuum præterea obſervas & colis. Quamobrem quum quæ ad præclariſſimi Fratris tui laudes pertinent, ea quodam veluti jure Tibi vindices, quei de alio huic lucubratiunculæ adſciſcendo patrono cogitaſſem? Ut autem nulla æquiſſimæ hujuſce cauſſæ ratione habita cogitaſſem, ab imprudenti conſilio ipſa me Cremenſis Eccleſia abſterruiſſet, quæ quum ingentem pecuniæ vim in Seminarii inſtaurationem non multos ante annos a Te liberaliter collatam recolat, prædicetque, hanc ſtudii in Te ſui teſtificandi opportunitatem eripi ſibi minime pateretur. Tuum igitur tot nominibus libellum benevolo excipias animo, auctoremque Tibi, tuæque Familiæ longe ſpectatiſſimæ deditiſſimum patrocinio complectere.*

Cremæ IV. *Idus Apriles A.* MDCCLXIII.

CRE-

CREMENSIUM EPISCOPORUM SERIES

FERDINANDI UGHELLII

PROŒMIUM.



SI nihil aliud in Cremæ Civitatis Inſubriæ poſſet laudem conferri, quam a Chriſtianis hominibus illam ſumpſiſſe principium, illud ſatis certe videri poſſet apud cordatos rerum æſtimatores. Cum enim Narſes vir alioquin, tum pace, tum bello clarus Italica adminiſtratione a juniore Juſtino fuiſſet amotus, tuliſſetque indigne Sophiæ Auguſtæ contumeliam ipſum cum exprobratione defectæ virilitatis revocantis ad penſum, Auguſtæ minitatus ſe hujuſmodi telam texturum, quam deinde nec ipſa, nec vir ejus poſſent retexere, Langobardos e Scandia oriundam Gentem Italicam advocavit ad prædam, qui cum ſub Albuino Rege Ciſalpinam Galliam hoſtili impetu percurriſſent, Nobilium Inſubriæ Civitatum plerique Cives victorum ſævitiam declinantes inter Abduam, Ollium, Seriumque fluvios in lacunoſa loca transfugerunt, ubi caſis ædificatis, ac parvula arce ſe tutabantur. In iis eminebat & nobilitate, & opibus Cremes quidam Palatii Pignani dominus, a cujus nomine novæ Civitati nomen Cremæ inditum eſt, illamque quoad vixit tamquam dominus adminiſtravit, ejudemque civibus leges dixit. Et ejuſmodi quidem fuit Cremæ exordium, ut narrat

rat

rat Alemanius Finus in ſua Hiſtoria (1), currente anno à condita ſalute 570. die 15. menſis Auguſti. Nam qui narrant a Cremonæ Civibus Provinciæ Pamphiliæ, vel e Paraſſi ruinis, vel a Paraſio Trojano, vel demum ab iis, qui poſt excidium ei Civitati illatum a Mediolanenſi Archiepiſcopo nomen Cremæ a ſe ædificatæ Civitati indidere ad memoriam ſempiternam ſuæ concrematæ Civitatis anno 951. noſtræ ſalutis conſtructam, videntur potius fabulari, quam veram intexere Hiſtoriam. Quamobrem libentius Alemanium Finum ſecuti ſumus (2). Poſt Cremetem, Langobardorum juriſdictionis fuit, inde Caroli Magni, tum & Germanorum Imperatorum. Fridericus Henobardus diutina obſidione illam cepit 1160. diripuitque (3). Laudenſes autem, ac Cremonenſes Cremæ perpetui hoſtes ejuſdem diruere muros, ex cujus excidio cives 25. annorum exilium pertulerunt; deinde eodem remigrarunt, cum idem Fridericus reædificandam curaſſet anno 1185., quam in Cremonenſium contumeliam *Cremonenſium frixuram* appellari imperavit. Die vero 7. Maji ejuſdem anni exorſus eſt conſtruere arcem, reduceſque Cives quam pluribus ampliſſimiſque exornavit privilegiis. Hæc fere ſcribit Corius in ſuis Hiſtoriis (4). Qui etiam addit anno 1190. per duos Conſules, perque duos Prætores fuiſſe adminiſtratam, atque ab Henrico Imperatore Henobarbi filio Cremonenſibus attributam anno 1191. Iterumque anno 1205. a Caſſone Turriano Mediolanenſi exule penitus exciſam. Quæ cum deinde priſtinum civilitatis gradum recuperaſſet, ab Uberto Pallavicino, ut Merula ſcribit, jugum accepit, cui paulo ante, ut idem narrat, leges dicebat Venturinus Benzonus; Boſiuſque præterea de Doveria Cremonæ Tyrannus anno 1210. Eidem inſignes attulerunt ruinas Ghibellinorum, Guelforumque noxioſiſſimæ factiones; ac demum Mediolanenſibus Ducibus ceſſit in prædam; primuſque qui illi frænum injecit, Galleatius fuit Matthæi Vicecomitis filius. Sub cujus gentis juriſdictione perduravit uſque ad annum 1405. Joanne vero Maria Duce Mediolani, Benzonus Cremenſem arripuit principatum, ſed Philippus deinde Maria, Benzono expulſo, illam recuperavit, ceſſitque deinde Venetis Veneto Duce Franciſco Foſcaro, illorumque ditionis facta eſt (5) ex icto fœdere cum Franciſco Duce Mediolani, ut Blondus narrat. Ea tamdiu potiti ſunt, quoad

Ludo-

Ludovicus XII. Rex Gallorum, fractis ad Jeradadam Venetis, ejuſdem Civitatis in ſe traxiſſet dominium anno 1509. Eam deinceps Maximilianus Sfortia Dux Mediolani ſuæ juriſdictionis fecit, ac demum a Venetis antiquis Dominis iterum recepta (6), ſub quorum felici dominatu aucta tum ſplendidis ædificiis, tum opibus tranquilliſſime viget, ac floret. In amœniori planitie ſita eſt, gravis fœtaque civili populo, præter cæteram beatiſſimi ſoli fertilitatem. Inde quamplures tum pacis, tum belli artibus Viri inſignes prodiere (7) in quibus enituerunt Joannes (8) ac Vido S. R. E. Cardinales; ille ſub Calliſto II.; hic ſub Adriano IV. Qui melius famæ ſuæ, ſalutique cum dignitate patriæ conſuluiſſet, niſi ſchiſmaticis implicitus factionibus, æquiſſimam Alexandri III. cauſam impugnaſſet, ſubque Paſchalis III. nomine execrabilem geſſiſſet Pontificatum (9). Cæterum admodum brevis erit Cremenſium Præſulum ſeries. Primus enim Gregorius XIII. ei Civitati Antiſtitem ordinavit (10) anno 1580.; principemque loci Eccleſiam erexit in Cathedralem, ac Mediolanenſis Eccleſiæ ſuffraganeam fecit. Quam deinde Clemens VIII. a Mediolanenſi divulſam Bononienſi Eccleſiæ attribuit (11), cum Imolam Ravennati Metropolitanæ reſtituiſſet. Cathedralis Cremæ Eccleſia, cujus exordium incidit in annum 1284. Divæ Mariæ in Cœlum aſſumptæ ex Guelfæ factionis largitate (12) dedicata eſt, ſapitque nobilem architecturam. Fulget Præpoſitura, gaudetque præbendis Theologali, atque Pœnitentiali cum undecim Canonicis (13), ſexque Presbyteris Præbendariis. S.S. Pantaleonis, ac Victoriæ (14) munitur reliquiis; Seminarium alit; novemque ibi numerantur Religioſorum Monaſteria, ac quatuor Monialium, præter eas, quæ a veterno libidinis converſæ ad Dominum nulla clauſura tenentur. Orphanæ inſuper pro domicilio excipiuntur, ægriſque levandis duo Xenodochia patent; ſublevandiſque egeſtate oppreſſis Mons Pietatis, ſexque ibidem Laicorum Confraternitates in divinis laudibus, muneribus pietatis alumnos ſuos exercent. Præter Cathedralem, quatuor Parochiales Eccleſiæ ibi viſuntur. Haud ſatis ampla Diœceſis eſt, quam ut latius explicarent, dempſerunt ex aliis. Ejus Eccleſiæ taxa in lib. Cameræ 300. Florenorum eſt, cenſuſque Epiſcopatus tria millia Scutatorum explet, ejus tamen valoris, quo incolæ utuntur.

AD-

ADDITIO
NICOLAI COLETI.

[„ CRema Urbs non admodum magna, cum milliari ejus cir-
„ cuitus concludatur, eminet tamen tum ædificiorum am-
„ plitudine, tum incolarum elegantiori cultu. In ea 6500. ci-
„ ves (15) enumerantur, quos inter complures nobilitate il-
„ luſtres familiæ. Quinque Parochiales Eccleſiæ hos omnes di-
„ vinis reficiunt Sacramentis. In Cathedrali vero Eccleſia duæ
„ inſunt dignitates (16), tredecim Canonici (17), ſeptem Man-
„ ſionarii (18), præter Sacriſtas, alioſque Clericos, atque tri-
„ ginta Capellanos, qui quotidie in ea divinum penſum perſol-
„ vunt. Undecim in Urbe, & prope muros viſuntur Virorum
„ cœnobia (19), ſeptem Monialium, Clericorum Seminarium;
„ quatuor Xenodochia; multæ laicorum Confraternitates, &
„ Mons Pietatis. Diœceſis vero ex quadraginta ſeptem Parochia-
„ libus Eccleſiis coaleſcit, quæ 25000. (20) mortalium alunt.]

Igitur hujus Eccleſiæ Præſulum ſeriem commodius dabimus, ſi prius erectionis Bullam hic apponemus. (21).

GREGORIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei
Ad perpetuam rei memoriam.

SUper univerſas Orbis Eccleſias eo diſponente, qui cunctis imperat & cui omnia obediunt, quamvis ſine noſtris meritis, conſtituti levamus in circuitu agri Dominici oculos noſtræ mentis more pervigilis Paſtoris inſpecturi quid Provinciarum, & locorum quorumlibet ſtatui congruat, ac deſuper hoc præſertim tempore, quo humani generis hoſtis omni conatu ad ipſarum animarum perniciem, & fidei catholicæ everſionem incumbit, diſponi debeat, unde Divino fulti præſidio dignum, quin potius debitum arbitramur in irriguo militantis Eccleſiæ agro novas Epiſcopales ſedes, & Eccleſias plantare, ut per hujuſmodi novas plantationes popularis augeatur devotio, divinus cultus floreat, & animarum ſalus ſubſequatur, ac loca inſignia præſertim, quorum incolæ bene-

nedicente Domino multiplicati noſcuntur, dignioribus titulis, & condignis favoribus illuſtrentur, ipſique Incolæ honoratorum Præſulum aſſiſtentia, regimine, & doctrina ſuffulti in via Domini magis magiſque in dies proficiant. Sane cum Nos nuper ab Eccleſia Laudenſi certo tunc expreſſo modo Paſtoris ſolatio deſtituta, & illius menſa Epiſcopali eam Laudenſis Diœceſis partem, quæ in oppido, & territorio Cremæ conſiſtebat cum ipſius partis Diœceſis Caſtris, Pagis, & Vicis, ac eorum territoriis, & terminis, nec non Monaſteriis, prioratibus, præceptoriis, collegiatis, & aliis Eccleſiis, cæteriſque omnibus beneficiis Eccleſiaſticis cum cura & ſine cura ſæcularibus, & quorumvis Ordinum regularibus, ac etiam Clero & populo univerſo, juribus quoque, & actionibus, quæ pro tempore exiſtens Epiſcopus Laudenſis ratione viſitationis, & mulctarum quomodocumque habebat, poſſidebat, percipiebat, exigebat, & prætendebat per alias noſtras litteras diviſerimus perpetuo & ſeparaverimus, ac ſic diviſa & ſeparata ab omni juriſdictione, poteſtate, & ſubjectione pro tempore exiſtentis Epiſcopi Laudenſis, ac etiam a ſolutione quorumvis jurium ratione ſubjectionis, & legis Diœceſanæ debitorum etiam perpetuo exemerimus, & liberaverimus, illaque noſtræ & Apoſtolicæ Sedis diſpoſitioni ſpecialiter, & expreſſe reſervaverimus, prout in ipſis litteris plenius continetur, & reliquæ partes dicti Oppidi, & ejus Territorii in Cremonenſi & Provinciæ Mediolanenſis Placentina Diœceſibus conſiſtant, Oppidum vero ipſum cum univerſo ejus Territorio de temporali dominio dilectorum filiorum nobilis Viri Ducis, & Reipublicæ Venetiarum ſit, eorumque incolæ diverſorum Epiſcoporum juriſdictioni ſubiecti, ac proinde proprium ſæpius forum declinantes non facile a propriis Epiſcopis viſitari, nec ubi deliquerint, corrigi poſſint, inter cætera autem partium illarum oppida ſupradictum nobilitate amplitudine, ac doctorum virorum copia, Cleri, & populi multitudine, ædificiorumque ornamento celeberrimum ſit, Territorium vero fæcundum, & amænum, ac quinquaginta vicos, & cum minimum ſexdecim millia incolarum contineat. Nos providi vigiliſque Paſtoris more conſiderantes, quod ſi dictum oppidum in Civitatem & Eccleſia B. Mariæ ejuſdem oppidi competenti dignitatum, ac canonicatuum, & præbendarum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum numero referta, ſacra etiam ſupellectile, & aliis ad Divini cultus uſum neceſſariis luculenter inſtructa exiſtit, & alioquin

inſignis in Cathedralem Eccleſiam erigerentur, & inſtituerentur, inde profecto Cleri & populi ſalus cum Eccleſiæ & populi prædictorum decore longe magis proveniret. Præmiſſis itaque, & aliis rationabilibus cauſis adducti, ac etiam ſupplicationibus tam Ducis, & Reipublicæ, quam & dilectorum filiorum Univerſitatis, & hominum dicti oppidi nobis ſæpius porrectis inclinati, habita ſuper his cum Fratribus noſtris matura deliberatione de illorum conſilio, & aſſenſu, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ab Eccleſiis Cremonenſi, & Placentina, earumque Menſis Epiſcopalibus reliquas partes oppidi, & territorii prædictorum cum ſuis villis, terris, & terminis, nec non monaſteriis, prioratibus, præpoſituris, præceptoriis, Eccleſiis, hoſpitalibus, & piis locis, cæteriſque omnibus beneficiis Eccleſiaſticis cum cura, & ſine cura ſæcularibus, & quorumvis Ordinum regularibus, ac etiam Clero, & populo univerſo, juribus quoque, & actionibus, quæ pro tempore exiſtentes Epiſcopi Cremonenſis & Placentinus ratione viſitationis, & mulctarum quomodocumque habent, poſſident, percipiunt, exigunt, & prætendunt, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo dividimus, & ſeparamus, ac ſic diviſa, & ſeparata ab omni eorumdem Epiſcoporum Cremonenſis & Placentini juriſdictione, poteſtate & ſubiectione, ac etiam a ſolutione decimarum, & quorumvis aliorum jurium ratione ſubiectionis, & legis Diœceſanæ debitorum, ita ut poſthac ipſi Epiſcopi pro tempore exiſtentes, eorumque Procuratores, & Vicarii nullam juriſdictionem, poteſtatem, & auctoritatem in poſteriores partes ſic diviſas, & ſeparatas, earumque villas, terras, terminos, monaſteria, prioratus, præpoſituras, præceptorias, Eccleſias, beneficia, hoſpitalia, loca, clerum, populum, actiones, & alia præfata exercere, nec de beneficiis ſub hujuſmodi diviſione comprehenſis, quæ ad eorumdem Epiſcoporum pro tempore exiſtentium collationem, proviſionem, & quamvis aliam diſpoſitionem hactenus pertinuerunt, diſponere, nec fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta ab eis in oppido, territorio, villis, terris, & terminis ſeparatis prædictis ſubventionis, procurationis, caritativi, vel alterius ſubſidii cauſa, aut alia ratione percipi ſolita, percipere, exigere, & levare, neque cauſas, præterquam eas quæ jam coram ipſis inſtructæ ſunt, & etiam de quibus in eorum juriſdictione conſenſum fuit cognoſcere, aut alias ſe in illis

lis

lis interponere quoquomodo audeant, decimis tamen, quas pro tempore exiſtentes Cremonenſis & Placentinus Epiſcopi in dicto territorio hucuſque percipere conſueverunt, Venerabilibus Fratribus noſtris modernis Epiſcopis Cremonenſi & Placentino, quamdiu dictis Eccleſiis Cremonenſi & Placentinæ præfuerint, dumtaxat remanentibus, auctoritate & tenore prædictis etiam perpetuo eximimus & liberamus; inſuper oppidum in Civitatem Cremenſem nuncupandum, & Eccleſiam B. Mariæ prædictam in Cathedralem Eccleſiam ſub invocatione ejuſdem B. Mariæ Archiepiſcopi Mediolanenſis pro tempore exiſtentis ſuffraganeam futuram, ac in ea dignitatem, ſedem, & menſam Epiſcopalem cum omnibus privilegiis, honoribus, juribus, & inſignibus debitis & conſuetis pro uno Epiſcopo Cremenſi nuncupando, qui eidem Eccleſiæ Cremenſi præſit, illamque ad Cathedralis Eccleſiæ formam redigat, ac juriſdictionem Epiſcopalem, nec non præfatorum ſic diviſorum beneficiorum omnium diſpoſitionem ordinario jure, aliaque omnia, quæ ad munus Epiſcopale pertinent, habeat & exerceat, præfatoqne Archiepiſcopo jure metropolitico ſubſit, eiſdem auctoritate & tenore ſimiliter perpetuo erigimus, & inſtituimus, ac ipſi Eccleſiæ ſic in Cathedralem erectæ Civitatem Cremenſem ejuſque incolas & habitatores pro Civitate & Civibus, nec non territorium præfatum univerſum ſub dominio temporali præfato conſiſtens, ac omnes ejus partes nunc & alias diſmembratas prædictas pro ejus Diœceſi, ac etiam Clerum, & populum Civitatis, & Diœceſis Cremenſis, cui Nos etiam hodie pro parte ejus dotis quam augere propediem intendimus Eccleſiam præfatam nuncupatam SS. Jacobi & Philippi Cremen. certo tunc expreſſo modo vacantem uniri, annecti, & incorporari conceſſimus pro Clero & populo, ac dictæ Menſæ Epiſcopali Palatium ad univerſitatem, & homines prædictos olim pertinentes, proxime vero eidem Eccleſiæ B. Mariæ, cui propinquum eſt pro Palatio Epiſcopali ab eis donatum ad uſum, & habitationem dicti Epiſcopi auctoritate & tenore præfatis pariter perpetuo aſſignamus, decernentes ex nunc irritum & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, nec non dictarum Eccleſiarum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis,

quoque indultis, & litteris Apoſtolicis illis, earumque Præſulibus, Capitulis, & perſonis ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis nec non irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu proprio, ac ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus etiam conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ diviſionis, ſeparationis, exemtionis, liberationis, executionis, inſtitutionis, intentionis, conceſſionis, aſſignationis, decreti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1579. tertio Idus Aprilis Pontificatus noſtri anno octavo.

In Ughellii Proœmium Recentis Editoris
ADNOTATIONES.

(1) Cremæ recuſa a MDCCXI.

(2) Atque eamdem Finii ſententiam ante Ughellium placuiſſe video doctiſſimis viris Carolo Sigonio, ac Petro Spino, quorum ea de re litteræ extant ab ipſo Finio recitatæ in opuſculo inſcripto „ *Riſpoſte all' invettive* „ *ſcritte da* Messer Francesco Zava *contra* le Seriane „ *di* M. Alemanio Fino „ Nimirum Zava adverſus Finium nihil non molitus fuerat, ut a Cremonenſibus Cremæ origines duceret; quod *fabulari* Ughellio viſum eſt potius, *quam veram intexere hiſtoriam*. Petrus Giannone in damnata Regni Neapolitani Hiſtoria Civili *lib. IV.* Cremetem ait ducem a Langobardorum Rege Aiſtulpho Cremæ fuiſſe præfectum. Vereor autem, ut id antiquis tabulis, aut probati Scriptoris teſtimonio confirmari poſſit. Quod ſi tamen verum eſſet, non inde Cremes conditæ urbis gloria caderet. Fieri enim poſſet, ut qui illius auctor exſtiterat, ab Aiſtulpho Ducatus eam titulo inſigniendam curaſſet. Non enim provinciis tantum, ſed & urbibus duces a Langobardis conſtituti ſunt, ut a Maffeio V. Cl. in eximio *Veronæ illuſtratæ* opere eſt demonſtratum.

(3) Hoc anno Cremam a Friderico captam, direptamque non Abbas Urſpergenſis ſolum in Chronico tradit, quem Muratorius ad eum annum appellat in *Annalibus Italiæ*; ſed etiam Radericus Friſingenſis, & Otto Morena, quorum verba Finius reddit *Seriana* VII. p. 35. Quin Cremæ extabat olim marmor, cui inſcripta hæc erant:

Crema cremata jacet cum ſexaginta notaſſet
Centum cum mille ſcripſit Notarius ille
De Jani menſe Federico Cæſare ſtante.

Confer eumdem Finium *Seriana* XXIII.

(4) Corio antiquior Sicardus Cremonenſis Epiſcopus in Chronico *T. VII. Rer. Italic. Anno*, inquit *Domini* MCLXXXV. *Imperator in Italiam rediens Cremam in odium Cremonenſium reædificavit*. Idipſum marmori inſculptum vidit Finius, qui illud adfert *Seriana* I. p. 14. his verbis:

Centum mille noto pro Chriſti tempore toto
Octoginta datis ſuper his & quinque peractis
Sub menſe Maji Federico Cæſare ſtante
*Septima lux menſis præerat * facta gerendis*
Cum relevata fuit Crema ſtatumque reſumpſit.
Per Placentinos grates meruere divinas,
Unde Cremonenſes doleant & ſint modo flentes,
E quorum fletu lætetur quiſque virorum.

* forte *tunc facta*.

Ad privilegia ab Ughellio indicata quod adtinet unum adfero. Recitat illud Petrus Ternius Patricius Cremenſis in Italica Ms. patriæ hiſto-

ſtoria ad annum 1553. perducta, atque in undecim libros tributa, quorum priores decem Johanni Jacobo Marchioni Trivultio inſcripti ſunt, extremus Johanni Franciſco Trivultio Johannis Jacobi nepoti. Servatur autem hiſtoriæ hujus archetypum exemplar ab Illuſtriſſimo Archidiacono Curtio Alexandro Comiti Clavellio, cujus humanitate copia illius mihi facta eſt. Jamvero ecce quid Fridericus præſtiterit.

In nomine Domini Patris & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Anno ejuſdem milleſimo centeſimo octuageſimo quinto die duodecimo Maji indictione tertia in preſentia Gualphredi de Turricella, & Arniſii Veſiliſenſis Judicum curiæ Imperatoris Federici, & Marcoaldi, & Tamphoſii Olive & Ducis Auritii Saxonichi millitum & coſciliarorum curiæ Imperatoris, cum ligno quod in ſua tenebat manu, Federicus Dei gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus inveſtivit Domnum Benzonum, & Alexium de Sabiono, & Ottonem Gambazochen, & Nigrum de Rivoltella, & Albertum de Sancto Vito omnes de Crema ad partem, & utilitatem communis & univerſitatis hominum caſtri de Crema beneficii nomine nominative de omnibus honoribus, & omnibus directis, & juribus, & actionibus, & rationibus, communantiis, piſchationibus, uſibus aquarum, aqueductibus, advocariis Eccleſie, ſeu Eccleſiarum, & Duellis faciendis, & ordinandis & judicandis, & omnibus decimis, & juribus, & actionibus pertinentibus comitibus de Camiſano in caſtro, & caſtro, & muro, & nomine illius caſtri, & de omnibus terris cultivatis & incultivatis, & ſtantibus in dicto caſtro de Crema, & extra illud Caſtrum in finita & territorio dicti caſtri de Crema, & ejus finita nomine beneficii, quas res tenebant Comites de Camiſano, vel eorum anteceſſores illas videlicet res ſpectantes, & omnia jura, quæ ſpectare dignoſcuntur regaliæ Imperatoris, & de omnibus terris cultivatis & incultivatis, & honoribus, & juribus pertinentibus Comitibus de Camiſano in caſtro, & territorio & finita caſtri de Crema, & de omnibus emancipationibus, ſeu manumiſſionibus faciendis, & conſentiendo, & auctoritatem preſtando eis faciendis, & de omnibus hereditatibus, & illorum qui defuncti fuerint in caſtro & extra caſtrum de Crema, & ejus juriſdictione, & de omnibus hereditatibus & ſucceſſionibus ſine legitimo herede interibunt, & in conſentiendo mulieribus & minoribus in rebus ſuis alienandis cum utilitate, & in conſultis mulieribus faciendis, ita ut ammodo in antea commune & univerſitas & homines caſtri de Crema, qui nunc ſunt, & pro temporibus erunt, habeant, teneant & poſſideant beneficiario nomine omnia predicta, & omnia alia jura ſpectantia Comitibus de Camiſano regalie Imperatoris in eo caſtro & finita & territorio Cremæ, cum ipſi juraverunt fidelitatem ipſi Domno Imperatori, & omnibus aliis futuris Imperatoribus, & ſimiliter fidelitatem facere debent univerſi homines qui habitant nunc & pro temporibus habitaverint in præfato caſtro Cremæ nullis juribus ſeu inveſtituris factis vel faciendis in Comitibus de Camiſano, vel eorum anteceſſoribus vel ſucceſſoribus inutilis, & inefficax & nullius momenti & efficacie ſit & eſſe debeat inania, irrita, & caſſa, & hoc factum eſt, quia dicti Comites de

Cami-

Camiſano non obſervaverunt fidelitatem Imperiali maeſtati, & contra fidelitatem venerunt & fecerunt, quia ſic inter eos placuit, & conventum. Actum eſt hoc feliciter in predicto caſtro de Crema ſuper foſſato illius caſtri, & ad hoc fuerunt rogati Rogerius Veſconte, Paganus de la Turre, Ugo de Cameſano de civitate Mediolani, Gotio de Gambara, & Bonapas Faba de Brixia rogati teſtes.

Ego Raynerius Notarius ſupraſcripti Domni Federici Imperatoris, ac ejus mandato tradidi & ſcripſi.

Hactenus Fridericianum privilegium. Non unus vero Fridericus fuit, qui Cremenſes honoribus ornaret. Reddit idem Ternius *lib. III.* Ottonis IV. diploma, quod heic lubet exſcribere.

In nomine Sancte & Individue Trinitatis Dei gratia Otto quartus Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus, quod in tempore fit, tempore defluente evaneſcit, & ideo facta hominum non imprudenter humana ſolertia ſcribere conſuevimus. Inde eſt quod attendentes & memoriter tenentes fidem ac devotionem fidelium noſtrorum Cremenſium quam circha noſtrum Imperium & nos ſemper habuerunt & impoſterum ſe habituros non dubitamus, juſtis eorum petitionibus duximus condeſcendendum. Ea propter largimur, & concedimus eis omnes poſſeſſiones, & jura, & conſuetudines, quas habebant in caſtro Creme, & burgo, & villa & in aliis locis circonſtantibus, & in terris, & in aquis, que habebant, & tenebant ante guerram Domni Federici Imperatoris dive memorie per annum vel infra triginta annos antea regalibus inveſtientes beneficiis imperiali auctoritate noſtra hoc ipſis ſtatuimus, & concedimus, ut tam per aquam quam per terram liberam habeant navigandi comeandique facultatem: Ita ut nec tributum nec teloneum alicui debeant, nec albergariam. Poſtremo ne alicui ſubiaceant exactioni imperialibus ſolummodo preceptis obnoxii denique volumus ut omnino ſecuri foris & infra locum in pace degant ab omni infeſtatione immunes, Retinentes ipſum locum Creme Imperio noſtro, ita ut nec nobis, nec ſucceſſoribus noſtris alienare ullo modo liceat, ſed ſemper ſub noſtra protectione conſtituti ſecuri permaneant. Statuimus inſuper ut nullus Dux, Comes, nec aliqua Civitas habeat ibi juriſdictionem, vel diſtrictum niſi nos tantum & noſtri ſucceſſores. Et pro ſupraſcriptis conceſſionibus & in retentione & tuitione ipſorum dabunt ſingulis annis ab iſtis Kalendis Martii in antea in ſignum ſubiectionis marchiam unam auri, ſolvendam nobis vel certo nuntio noſtro Mediolani omnes quoque homines de Crema a viginti annis uſque ad ſeptuaginta jurare debeant nobis fidelitatem & ſucceſſoribus noſtris, & in Sacramento fidelitatis addicient, quod non vetabunt ſed dabunt caſtrum de Crema nobis & ſucceſſoribus in pace & in guerra ſi requiſitum fuerit. Item jurabunt quod non facient aliquam ſpecialem ſocietatem cum aliqua civitatum, vel perſona abſque conſenſu noſtro. Conſules etiam quos elegerint vel unus nomine aliorum recipere debeat inveſtituram conſulatus a nobis vel a nuntio noſtro ſi fuerimus in Lombardia ſingulis annis. Caſſamus quoque & irritum deducimus omnes conceſſiones & data, & ſcripta ſi qua fecimus, & noſtri ante-

ceſ-

ceſſores de ipſo loco Creme , vel de poſſeſſionibus , vel conſuetudinibus , & juribus , ſeu juriſdictionibus Cremenſium precipiendoque ſancimus ut nulla perſona ſecularis , vel Eccleſiaſtica , vel Civitas nulla , vel poteſtas in predictis omnibus eos moleſtare , vel deſveſtire preſumant quod ſi quis aliqua occaſione vel auſu temerario facere temptaverit , centum libras auri puriſſimi componat medietatem Camere noſtre , & aliam medietatem ipſis Cremenſibus . Hujus enim facti & conceſſionis teſtes Petrus Prefectus Vrbis , & Johannes ejus filius ,Gulielminus Marchio Montisferrati , Thomas Comes Sabaudie , Guielmus Marchio Malaſpina , Itelinus de Rumano , Salinguerra de Ferraria , & alii quamplures . Datum apud Laudam per manum Conradi Spirenſis Epiſcopi Imperialis aule Canzelarij nono Kalendas Februarij anno milleſimo ducenteſimo duodecimo Indictione decima quinta Imperij noſtri anno tertio feliciter . Amen .

(5) A. 1449.

(6) A. 1512.

(7) Eos percenſent Alemanius Finius , & Canonicus Johannes Baptiſta Cogroſſius ; ille in opuſculo, quod prænotavit : *Scielta degli Uomini di pregio uſciti da Crema dal principio della Città fin a' tempi noſtri ;* hic in opere A. 1738. Venetiis edito, cui titulum fecit : *Fatti Iſtorici di Crema deſcritti in verſi.*

(8) Ad quem extat S. Bernardi epiſtola CLXIII. Romæ in ſacra S. Chryſogoni æde , cujus titulo honeſtatus Johannes fuit , hæc leguntur :

IN NOMINE DOMINI.

Anno Incarnationis Dominicæ M.C.XXIX. *Indict.* VII. *anno Honorij II. Papæ V.* JOANNES *de Crema patre* OLRICO , *matre* RATILDA *natus , ordinatus Cardinalis a Paſchale II. Papa in titulo Sancti Griſogoni a fundamentis hanc Baſilicam conſtruxit , & erexit , theſauro & veſtimentis ornavit ædificiis intus & foris decoravit , libris armavit , poſſeſſionibus ampliavit , parochiam adauxit , pro cujus peccatis , quicumque legeritis & audieritis , intercedite ad Dominum , & dicite : O bone Salvator , noſtræque ſalutis amator Fili Chriſte Dei parce Redemptor ei . Amen .*

Plura de eo Ciacconius Oldoini , & Finius *Seriana* IV. & *Seriana* XXII.

(9) Conſule Finium *Seriana* IV. *pag.* 26. *ſeq.* , ubi illum a nonnullis Cremonenſem perperam dictum monet , & ut alios mittam , qui Pontificum hiſtoriam tradidere , Archiepiſcopum Anaſtagium in nupera *Antipaparum* hiſtoria .

(10) Plaudente ſplendidiſſimo Cremenſium civium ordine , qui anno 1580. 3. Martii Summo Pontifici libens obtulit *palatium novum cum omnibus inferioribus , & ſuperioribus ſuis juris magnificæ Communitatis in platea majori Cremæ ſitum . . . . pro habitatione . . . . Epiſcopi futuri .*

(11) Ughellione fidem habebimus ajenti , Cremenſem Eccleſiam Bononienſi a Clemente VIII. adtributam ? An Finio *hiſtor. lib.* x. *pag.* 147. id a Gregorio ipſo XIII. A. 1582. factum adfirmanti ? Utrique : nam apud Ughellium ipſum in Bononienſibus Archiepiſcopis *T. II. pag.* 42. extat Gregorii XIII. Bulla Cremenſem Eccleſiam cum aliis nonnullis Bononienſi Archiepiſcopo ſubjicientis . Quum autem poſtea non exigua ea

de

de re ſuborta eſſet controverſia, Clemens VIII. 29. Januarii A. 1605. Gregorii conſtitutionem confirmavit.

(12) Quod heic de Guelfæ factionis largitate dicitur ex F. Iacobi Philippi Bergomatis ſupplemento hauſtum eſt, in quem locum *Cremæ* nomen pro *Cremonæ* ſive auctoris, ſive editoris vitio inrepſit. Anno equidem MCCLXXXIV. cum Cremonæ, tum Cremæ cœptum eſt princeps illarum urbium Templum; at Bergomatem hiſtoricum de Cremonenſi loquutum, non de Cremenſi, vel illud argumento eſt, quod Templum *intra duorum annorum ſpatium indicibili prope impenſa conſummatum fuiſſe* commemoret, quum Cremenſe anno MCCCXI. nondum fuerit abſolutum, ut monumentum arcui aræ S. Apolloniæ inſcriptum, nunc tamen ſublatum olim docebat; immo anno tantum MCCCXLI. perfectum Finius adſerat *Seriana* XII. *pag.63*. Porro non Guelphæ tantum factionis, ſed univerſi populi conſilio Cremenſe Templum conſtructum fuit.

(13) De hoc, cæteriſque, quæ ſequuntur, conſule Coleti additionem, & quæ ad eam adnotabimus.

(14) Et S. Hiacynthi, quo nomine donatus eſt Martyr Anonymus in Romanis cœmeteriis effoſſus.

(15) Anno MDCCLVI. 8266. cenſebantur.

(16) Præpoſitus ſcilicet, atque Archidiaconus, cui Miſſam celebranti ex litteris a Benedicto XIV. 17. Kal. Aprilis a. 1752. perſcriptis uti licet canone, & ſcotula, ſeu Bugia.

(17) Quatuordecim, anno enim 1753. quartus & decimus conſtitutus fuit.

(18) Octo, inſtituta ſcilicet octava Prebenda an. 1724.

(19) De his agit Finius *Seriana* XXX. Ex eo autem diſcimus tria præterea Cremæ extitiſſe olim Humiliatorum Cœnobia, Ss. Iacobi & Philippi, S. Martini, & S. Marini.

(20) Ultra triginta millia.

(21) Sed ex autographo emendatam, ac pluribus mendis, quæ in Ughellianam editionem irrepſerunt expurgatam.

EPISCOPI.



I.

HIERONYMUS DIEDUS Nobilis Venetus, ex Patavino Primicerio primus Cremenſis Antiſtes adlectus eſt a Gregorio XIII. anno 1580. die 21. (1) menſis Novembris; die vero 19. menſis Maji inſecuti anni ſolemni ritu ejus Epiſcopatus iniit poſſeſſionem. Hanc ille Eccleſiam annos quatuor pie adminiſtravit (2), cupiduſque deinde quietis eo munere ſe abdicavit ann. 1584., cumque conceſſiſſet Venetias, ibi deceſſit an. 1585. die 10. menſis Junii. Hujus mentio extat in marmorea memoria erectionis hujus Epiſcopatus ad dexteram Cathedralis Eccleſiæ, quæ eſt hujuſmodi:

ANNO CHRISTI MDLXXX. III. IDVS APRILIS
GREGORIVS DECIMVS TERTIVS PONTIFEX MAXIMVS
HANC ECCLESIAM AD EPVS DIGNITATEM EREXIT
NICOLAO DE PONTE DVCE VENETIARVM, IOHANNE
DOMINICO CICONIA PRAETORE CREMAE, PRAESIDIBVS
COMMVNITATIS COSMO BENVENVTO EQVITE, ANTONIO
FIGATO JVRIS VTRIVSQVE DOCTORE, MARIO ZVRLA
I. V. D. PROCVRANTE ID ROMAE QVIRINO ZVRLA
I. V. D. AC HIERONYMVM DIEDVM EPISCOPVM PRIMVM
DELEGIT.

[„ In Divæ Catharinæ Sacrario (3) Venetiis, ubi ejus oſſa „ recondita ſunt, hoc legitur Epitaphium:

HIE-

HIERONYMI DIEDI
PRIMI EPISCOPI CREMÆ
OSSA EX TESTAMENTO
HIC JACENT
OBIIT AN. NAT. DOMINI
M. D. LXXXV.
ÆTATIS VERO SUÆ
LXIII.

Coletus]

Recentis Editoris ADNOTATIONES.

(1) 20. Menſis Novembris.

(2) Auſta ſub eo eſt Epiſcopalis menſa Prioratu S. Antonii Ordinis S. Auguſtini. Fuerat illius Prior Fiduciarius ipſe Hieronymus, in ejus autem abdicantis locum Joh. Jacobus Nepos x. Cal. Septembris 1561. a Pio IV. ſuffeſtus eſt. Sed Gregorius XIII. Prioratum tandem Epiſcopali menſæ addixit, anno, ut equidem conjicio 1580. Nam 28. Septembris anno 1579. Joh. Jacobus nondum Prioratu ceſſerat: oſtavo autem Martii die 1581. Epiſcopalis Menſa eo fruebatur. Hunc porro Prioratum cum Mediolanenſes, tum Veneti Duces non vulgaribus benevolentiæ argumentis ornarunt. Teſtes ſunt, quas ex apographis in Epiſcopali archivo adſervatis heic profero, litteræ quatuor quintodecimo ſæculo editæ.

I.
Philippi Mariæ Ducis Mediolanenſis
Diploma an. 1420. *datum.*

Philippus Maria Anglus Dux Mediolani, ec. Papiæ Anglerieqve comes. Cum propter ſingularem devotionem, & reverentiam, qvam Illuſtriſſimus ſemper recolende memorie princeps & excellentiſſimus Domnus Dux, genitor noſter honorandiſſimus (1) *continuo geſſit ad beatum Antonium Ordini Sanſti prefaſti patentes litteras conceſſit infraſcripti tenoris videlicet.* Sanſtorum merita nos impellunt, & præſertim quorum miracula apparent immenſa, & in quorum manſionibus pietatis opera vigent, & infatigabiliter egenis pro Chriſti amore miniſtrant, eorum fideles & devotos, nec non miniſtros confovere, ut in eis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtamus. Attendentes itaque immenſa miracula beati Antonii Viennenſis, & pietatis opera, quæ per univerſum orbem per Abbatem, & Fratres ordinis prelibati patroni beati Antonii cottidie inceſſanter exercentur, devotione tam alicui * confeſſoris commoti proprio motu, & ex certa ſcientia de gratia ſpeciali, & noſtræ plenitudine poteſtatis prefaſtum ordinem, & ejus preceptores, fratres, familiam, res, bona, poſſeſſiones, jura, domos, uſus, conſuetudines,

* f. incliti.

(1) Johannes Galeatius.

nes, & benefitia, & preſertim domum & manſionem Sancti Antonii Cremenſis, & alias domos in noſtro dominio exiſtentes, & earum preceptores, fratres, poſſeſſiones, bona, famulos, Maſſaros, Colonos, & Mezadros, & laboratores a quibuſcumque impoſitionibus, taleis, & oneribus realibus, & perſonalibus, atque mixtis, ordinariis, & extraordinariis, ac datiis, theloneis, & gravaminibus quibuſcumque preſentibus, & futuris, liberamus, abſolvimus, & tenore preſentium exhiminuimus, & pro liberis & abſolutis eſſe volumus, & mandamus; & quod de libris & actibus talearum, impoſitionum, datiorum, & onerum quorumcumque impoſitorum, & imponendorum, predicti fratres, & ordo, & eorum Maſſarii, Mezadri, coloni, & laboratores cancellentur, & mortificentur per illos, penes quos dicti libri ſint, vel exiſtant, & exiſtunt, prout exiſtunt pro cancellatis habeantur: Preterea univerſis, & ſingulis poteſtatibus, Capitaneis, Judicibus, & offitialibus nunc definictive damus in mandatis ſub pena indignationis noſtræ, Quatenus predictos ordinem, fratres, nuntios, familiam, res, jura, bona, mezadros, maſſarios, & laboratores pretextu premiſſorum, impoſitorum, & imponendorum, nullatenus, inquietent, aut moleſtent, nec ſe intromittant de aliquibus offitiis, benefitiis, & negotiis ipſius ordinis vacantibus, & vacaturis in prejuditium, & contra voluntatem fratrum, & gubernatorum ordinis memorati. videlicet eos in eorum benefitiis, rebus, poſſeſſionibus, bonis, juribus, ac gratiis quibuſcumque per nos eis conceſſis, tueantur, defendant, & conſervent, ac ejs faciant juſtitiæ complementum contra quoſcumque quocumque modo, aut forma de preſenti, vel in futurum eiſdem fratribus & ordini debentes ſumarie, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura juditii cavillationibus quibuſcumque rejectis. *Volentes tam ob precipuam devotionem, quam ad Sanctum prefactum gerimus, quod intuitu prefacti quondam principis Domni genitoris noſtri, imitando veſtigia ſua dictum ordinem favoribus benignis proſequi: tenore preſentium litteras predictas ordini prefacto per prefactum domnum genitorem noſtrum conceſſas, approbamus, ratificamus, & roboramus mandantes univerſis, & ſingulis offitialibus, & ſubditis noſtris preſentibus & futuris, Quatenus litteras predictas, prout ſupradictum eſt, obſervent & faciant de verbo ad verbum, prout ſtant, inviolabiliter obſervari*. In quorum teſtimonium preſentes fieri & regiſtrari juſſimus, nūmque ſigilli appenſione muniri.

Datum Mediolani die vigeſimo Februarii 1420.

II.

Ejuſdem Philippi Mariæ Mediolanenſis Ducis
Diploma alterum an. 1441. *editum*.

Philippus Maria Anglus Dux Mediolani ec. Papiæ, Anglerieque Comes, ac Janve Domnus. Proſequimur ea veneratione, obſervantia, & devotione beatiſſimum Antonium, ut templa, monaſteria, & loca omnia religioni, & nomini ſuo dedicata continuis ſuffragiis, & favorabilibus tractamentis vellemus amplecti, & omnibus declarare, quod longe carior nobis, & acceptior eſt omnis ſua commoditas, quod ea, que in propriam cameram noſtram perve-

venit, quodque igitur ordinaſſemus, & inſtituiſſemus etiam novo firmoque decreto, quod a logiamentis gentium noſtrarum armigerarum nemo preſervaretur quiſquis eſſet, immo, quod, qui preſervari conſueverant, omnino contribuerent. Contentamur tamen, ac intendimus & diſponimus, quod ejuſmodi Monaſteria Sancti Antonii, ac preceptores, conventus, & fratres, nec non bona ſua, & fictabiles, maſſarii, agolondinarii, penſionantes, coloni, & redituarii quicumque ſui in univerſo dominio noſtro, reſpectu dumtaxat ipſorum bonorum nullatenus pergraventur occaſione & onere logiamentorum ejuſmodi, a quo quidem onere eorum, & eorum quemlibet veſtrorum ſic immunes facimus, & liberos reddimus penitus exemptos dictis ordinibus, & decreto, vel aliis quibuſvis in contrarium nequaquam attentis, mandantes univerſis & ſingulis offitialibus, gentibus, armigeris, & ſubditis noſtris, ad quos ſpectat, aut ſpectare poſſit quomodolibet in futurum, quatenus has noſtras immunitatis, declarationis, & exemptionis litteras, & hanc inviolabilem diſpoſitionem noſtram obſervent firmiter, & faciant inviolabiliter obſervari, nec contra eas intentent, nec intentari faciant aliqualiter, aut permittant pro quanto gratiam noſtram carependunt. In quorum teſtimonium preſentes fieri juſſimus, & regiſtrari noſtroque ſigilli, & cordine ſecrete munimine roborari. Datum Mediolani die decimo ſeptimo Octobris 1441.

III.

Franciſci Foſcari Venetiarum Ducis Litteræ an. 1449. *perſcriptæ.*

FRANCISCUS FOSCARI *Dei gratia Dux Venetiarum &c. Univerſis, & ſingulis preſentes noſtras litteras inſpecturis preſentibus & futuris ſalutem, & ſinceræ dilectionis affectum. Habentes ſingularem reverentiam & devotionem ad Beatum & Glorioſum Sanctum Antonium Viennenſem, cujus immenſa miracula per orbem tamquam inſignia ſydera eluceſcunt, in cujuſve domibus per earum rectores, & miniſtros in pauperes, & egenos multa & continua pietatis opera conferuntur, volenteſque his piis, & devotis operibus quantum congruit gratioſis favoribus aſſiſtere, harum ſerie notum facimus univerſis, quod omnes immunitates, exemptiones, & gratias, quas domus, ſeu manſio ejuſdem Beati confeſſoris Sancti Antonii in terra noſtra Cremæ ſituatâ; ejuſque rectores ſeu gubernatores, ac miniſtri, & ipſius domus, familia, res, bona, poſſeſſiones, Maſſarii, coloni, Fictabiles, Inquilini, Mezadri, & laboratores a dominis & dominiis preteritis retroactis temporibus uſque ad hæc tempora habere conſueverunt, tenore preſentium confirmamus, & de novo concedimus & largimur, ita ut omnibus dictis gratiis, immunitatibus, & exemptionibus ſolitis etiam nunc, & futuris temporibus libere, & expedite omni exceptione, & contradictione ceſſante, gaudeant & utantur: Mandamus itaque omnibus & ſingulis rectoribus, & offitialibus terræ noſtræ Cremæ, ejuſque diſtrictus, cæteriſque ſubditis & fidelibus noſtris, ad quos nunc vel in futurum poteſt vel poterit pertinere: Quatenus ipſam domum, ſeu Manſionem Sancti Antonii terræ noſtræ Cremæ, ejuſque rectores ſeu gubernatores, miniſtros, famulos, familiam, res, poſſeſſiones, bona, maſſarios, Inquilinos, colo-*

lo-

lonos, mezadros, fictabiles, & laboratores in dicta terra noſtra Cremæ, ejuſque pertinentiis & diſtrictu in ſupraſcriptis eorum privilegiis, gratiis, exemptionibus, & immunitatibus ſolitis conſervari, ac ipſis libere frui, & gaudere permittant per futura tempora, quemadmodum retroactis temporibus, moderniſque frui & gaudere conſueverunt. In quorum fidem, & robur has noſtras patentes litteras fieri juſſimus, & bulla noſtra plumbea pendente muniri. Data in noſtro Ducali Palatio die penultimo Menſis Novembris, indictione tertia decima millesimo quadringenteſimo quadrageſimo nono.

I V.

FRANCISCUS FOSCARI *Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobilibus & Sapientibus Viris Orſato Juſtiniano Militi de ſuo mandato Proviſori Cremæ & Succeſſoribus ſuis fidelibus Dilectis ſalutem & dilectionis affectum. Expoſuit Nobis Venerabilis Vir Prior Domus Sancti Antonii de Crema quod in illa Domo ſive Monaſterio Sancti Antonii allogiate ſunt gentes armorum ſive pedites, cum multa jactura illius Domus ſive Monaſterii. Quare intendentes quod in dicta Domo Beatiſſimi Antonii ſub Dominio noſtro, nihil tale fiat in ipſius præjuditium vel jacturam: fidelitati veſtræ ſcribimus expreſſeque mandamus, quatenus pro reverentia Dei & Beati Antonii, de Domo prædicta Sancti Antonii omnino amovere debeatis omnes gentes tam equeſtres quam pedeſtres, quæ in illa eſſent allogiatæ, & providere quod de cætero in ipſa Domo ſive Monaſterio nullatenus allogientur ſtipendiarii & libera dimittatur in arbitrio Prioris & Gubernatoris. Data in noſtro Ducali Palatio die* XXVIIII. *Menſis Novembris Ind.* XIII. MCCCCXLVIIII.

(3) Scilicet in Templo ad Aram Sancti Hieronymi.

I I.

JOHANNES JACOBUS DIEDUS Venetus Hieronymi Nepos cum Patavinus Primicerius eſſet, Vicariuſque Generalis Patrui, eidem ſucceſſit; dictus eſt ſecundus Antiſtes Cremenſis ann. 1584. die 28. Menſis Maii. Conſecravit Cathedralem, Aramque Virgini in cœlum aſſumptæ dedicatam an. 1585., ut in eadem Eccleſia ejus rei ad ſiniſtram manum hæc memoria proſtat.

AN.

ANNO CHRISTI MDLXXXV. DECIMO NONO KAL. FEB.
JOANNES IACOBVS DIEDVS CREMÆ EPISCOPVS SECVNDVS
ECCLESIAM HANC, ALTAREQVE SVB TITVLO ASSVMPTIONIS
B. MARIÆ VIRGINIS DEO CONSECRAVIT: PRÆTORE NICOLAO
DELPHINO, PRÆSIDIBVS COMMVNITATIS FRANCISCO ZVRLA
L. D., CHRISTOPHORO TORNIOLA L. D., AC CHRISTOPHORO
BENVENVTO. QVAM ANNIVERSARIO CONSECRATIONIS DIE
VISITANTIBVS QVADRAGINTA DIERVM
INDVLGENTIAM DEDIT. (1)

Erat Johannes Jacobus ſingularis prudentiæ ac pietatis Antiſtes, Cremenſemque Eccleſiam multos annos adminiſtravit (2); ingraveſcente autem ætate coadjutorem ſibi adſcivit 1613. cum ſpe futuræ ſucceſſionis. Venetiis, quo tranquillioris quietis gratia conceſſerat poſtremam diem obivit, ann. 1616. die 6. menſis Junii, ejuſque corpus Cremam delatum in Cathedrali conditum eſt cum hoc epitaphio

IO: IACOBVS DIEDVS
EPVS CREMÆ II.
POST HVIVS ECCLESIÆ
ANNORVM XXXII. REGIMEN
OBIIT INCARN. DNI
ANNO MDCXVI.
ÆTATIS VERO SVÆ LXXII.
DIE VI. MENSIS IVN.

[Laudatur a Riccobono de Gymnaſio Patavino l. v. c. 3. p. 108. a tergo] MANDOSIUS

ADNOTATIONES.

(1) Illud autem cum primis commemorandum, quod quum piæ illæ feminæ, quæ vulgo *Convertite* appellantur, domo carerent, atque in privatis Blancæ Premulæ morum æque, ac generis præſtantia clariſſimæ ædibus degerent, Diedi cura, atque induſtria factum eſt, ut anno 1605. pro temporum conditione ſatis commodum illis cœnobium cum templo ædificaretur. Eodem præterea anno 1605. Diedus de Capuccinis Sanctimonialibus Cremæ conſtituendis cogitavit, conſiliumque ſuum magno Chriſtianæ religionis commodo perfecit, virginibus quibuſdam, quæ arctioris vi-

vitæ ſtudio aliquot ante annos in unam domum ſe ſe receperant, ad veterem S. Claræ diſciplinam traductis.

(2) Sanctiſſimas quoque ad id leges edidit in pluribus, quas annis 1586. 1590. 1596. 1600. 1603. ac 1608. habuit, Synodis. Ex his porro Synodis collectæ ſunt conſtitutiones, quæ Brixiæ prodierunt 1609. Ioh. Stephano Capuccino Canonico curante.

Eſt & aliud, quod Diedi in inſtauranda Eccleſiaſtica diſciplina ſtudium confirmet. Inter cætera, quæ in Cremenſi Diœceſi correctione & emendatione egere videbantur, illud erat, quod non omnes Parochi in adminiſtrandis Sacramentis, aliiſque Eccleſiæ cæremoniis peragendis eumdem ritum ac formam ſervarent. Dominicus Bolanus Brixienſis Epiſcopus, ut eidem malo, quod in Brixienſi quoque Eccleſia pervagabatur, ſedulo occurreret, Ritualem librum ediderat, in quo Sacramenta adminiſtrandi, atque alias Eccleſiæ cæremonias peragendi forma tradebatur omnibus numeris abſoluta, atque a S. Carolo Borromeo in Provinciali Mediolanenſi Concilio an. 1579. ſummopere commendata. Hunc ergo librum Diedus datis Cremæ litteris Kal. Auguſti an. 1585. ſervandum Parochis, & Sacerdotibus omnibus propoſuit; quare anno eodem, iterumque decem poſt annis, anno ſcilicet 1595. Brixiæ a Vincentio Sabbio Typographo emiſſus eſt in lucem hoc titulo: *Rituale Sacramentorum, aliarumque cæremoniarum ex Romanæ Eccleſiæ ritu Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. Iohannis Jacobi Diedi Epiſcopi Cremæ juſſu impreſſum ad uſum ſuæ Eccleſiæ.*



III.

PETRUM deinde EMUM nobilem Venetum Clericum Regularem Theatinum, inſignem Theologum, Paulus V. Epiſcopum Lariſſæ (1) in partibus infidelium adlegit, Johannique Jacobo cum ſpe futuræ ſucceſſionis coadjutorem attribuit,

buit, (2) cui deinde ſucceſſit anno *1616.*, iniitque poſſeſſionem ejus Epiſcopatus die 13. Menſis Junii (3) ejuſdem Anni. Sancte, pieque Eccleſiam ſibi creditam gubernavit annos omnino tredecim (4). Romæ exceſſit e vivis anno *1629.* die 27. menſis Septembris; ſepultuſque eſt apud S. Marcum.

[„Hujus cum laude meminit Silos *in Hiſt. Clericorum Regu-* „ *larium par.* 3. *p. 63*1. Ejus item ſuffragium legitur in Canoni- „ zatione S. Andreæ Corſini in Opuſculo: *Suffragia in Canoni-* „ *zatione S. Andreæ Corſini p.* 53.] MANDOS.

ADNOTATIONES.

(1) Enim vero ipſe Petrus inſtrumento 24. Aprilis an. *1614.* ſubſcribens, ſe Epiſcopum *Lariſſenſem* appellat. In litteris tamen, quibus Dux Venetiarum 11. Decembris *1627.* Prætorem Cremenſem jubet Emo facultatem ineundæ Epiſcopatus Cremenſis poſſeſſionis impertiri, Paullus V. dicitur Emum *Electum Theſſalonicenſem* renunciaſſe perpetuum Diedi Coadjutorem. Quæ verba ſi ad ipſum, quo Diedi Coadjutor dictus eſt Emus, tempus referantur, mendo non carent; tum enim Emus Lariſſenus Epiſcopus erat. Fieri tamen poſſet, ut in iis litteris id unum indicari voluerit, Emum, qui an. *1627.* erat *Electus Theſſalonicenſis*, fuiſſe antea a Paullo V. Diedi coadjutorem creatum; quod ſi ita eſt, dicendum erit, a Lariſſeno Epiſcopatu ad Archiepiſcopatum Theſſalonicenſem fuiſſe Emum translatum, antequam Cremenſi Epiſcopatu potiretur.

(2) 4. Julii *1612.*

(3) 22. Decembris an. *1627.* ſcribendum ex indicatis Ducis litteris. Epiſcopatum quidem Paulli V. auctoritate ab ipſo Diedi obitu adripuerat, atque adeo palam adminiſtraverat; Temporariam tamen ejus poſſeſſionem [niſi forte quis errorem amanuenſis in adnotando anno cauſetur, quod tamen difficile credam] ex Senatus Conſulto non iniit, niſi eo die anni adſcripti *1627.* Id autem cur acciderit, divinare non vacat.

(4) Extant ejus Synodi tres, quas annis *1619. 1626.*, & *1628.* celebravit, Brixienſibus typis excuſæ.



I V.

MARCUS ANTONIUS BRAGADENUS Nobilis Venetus, utriuſque Signaturæ Referendarius, quartus Cremenſis Epiſcopus declaratus eſt anno 1629. die 3. menſis Octobris (1); die vero 21. ejuſdem Menſis ab Antonio Barberino S. Honuphrii Cardinali inauguratus fuit ſimul cum Luca Caſtelino ex Ordine S. Dominici olim Generali Procuratore Catanzari Epiſcopo, Johanneque Franciſco Paſſioneo Callienſi Antiſtite; qui poſt annum, quam ceperat Cremenſem adminiſtrare Eccleſiam, ad Epiſcopatum Cenetenſem (2), mox ad Vicetinum (3) translatus eſt. Nunc vivit S. Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis ab Urbano VIII. creatus an. 1641., de quo alibi (4).

ADNOTATIONES.

(1) Immo 5. Decembris.

(2) Crema quidem diſceſſit Bragadenus 24. Septembris an. 1631., non tamen Cremenſem Eccleſiam dimiſit ante annum 1633., quo quarto Idus Januarii ad Cenetenſem translatus fuit.

(3) An. 1639.

(4) Obiit Romæ die 28. Maii anno ſalutis 1658. ætatis 68.; & ſepulcrum ſortitus eſt pernobile in Eccleſia S. Marci ad Palatinas cum ſe-

D. O. M.
MARCO ANTONIO BRAGADENO
HVIVS ECCLESIÆ TITVLARI MVNIFICO,
QVEM VRBANVS VIII.
VT AVI A TVRCIS EXCORIATI MERITA
IN NEPOTE DIGNISSIMO
PENSARET,
PVRPVRA DECORAVIT.
PER CREMENSEM, CENETENSEM, AC VICENTINI GRADVS
AD SVMMI EPISCOPATVS FASTIGIVM
INGENTIBVS SVIS VIRTVTIBVS PROPERANTEM MORS SISTIT.
ÆTATIS SVÆ ANNO LXVIII. SALVT. HVM. MDCLVIII.
IO: ALOYSIVS FRATER, ET MARCVS NEPOS PATRIC. VENET.
P. P.



V.

ALBERTUS BADUARIUS Nobilis Venetus, electus deinde eſt Cremenſis Epiſcopus anno 1633. die 21. (1) menſis Februarii ſedente Urbano VIII. (2). Octuagenarius obiit Venetiis (3) ann. 1677. (4). COLET.

ADNOTATIONES.

(1) 26. Februarii.

(2) Eo curante novum Templum S. Mariæ Magdalenæ an. 1647. excitatum fuit, ædeſque ipſæ Sanctimonialium a Diedo, ut vidimus, primum extructæ, ampliorem, commodioremque formam acceperunt. Anno autem 1650. Synodum habuit; quam tamen nonniſi an. 1670. Mediolani e typographio Franciſci Vigoni juſſit in vulgus exire.

(3) Quo Cæſari Vimercato Archidiacono, viro doctiſſimo, rerumque experientia longe clariſſimo Eccleſiæ ſuæ cura delata conceſſerat.

(4) 28. Septembris magno ſui deſiderio relicto, quum ſapientia ac vigilantia incredibili optimi Antiſtitis munus expleſſet. In Canonicorum Sacrario extat hæc ejus munificentiæ teſtis inſcriptio.

ALBERTI BADVARII CREMENSIS EPISCOPI
MVNIFICENTIAM LIBERALITER HVIC SACRARIO LEGATAM
ET A NEPOTE IOANNE D. MARCI PRIMICERIO
LIBERALIVS PRÆSTITAM
AMBORVM PATROCINIVM
PRIMI IN CŒLIS, SECVNDI IN TERRIS
SIBI AVSPICANS AD ÆTERNITATEM SIGNAVIT
CANONICORVM CAPITVLVM ANNO MDCLXXXV.

ADDITIO NICOLAI COLETI.



V I.

MARCUS ANTONIUS ZOLLIUS Bergomas Patricius J. U. D., qui in Congregatione SS. Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem in Urbe officium Summiſtæ per plu-

plures annos exercuerat, ætatis annorum 48. ab Innocentio XI. Baduario Succeſſor datus eſt 18. Julii 1678.; at nonniſi anno 1684. menſe Majo Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem iniit. Cumque Cleri diſciplinam propter ſedis vacantis diuturnitatem aliquatenus collapſam reperiſſet, mox ſuo reſtituendam nitori non impigre curavit. Nam & Diæceſim pluries luſtravit, duabuſque coactis Synodis (1) ad reformandos mores, rituſque Eccleſiæ ſuæ accommodatas edidit ſanctiones. Spiritualium Exercitiorum uſum invexit, eaque a Clero ſuo quotannis haberi ſe præſente mandavit. Magni zeli, atque pietatis vir e ſacris roſtris frequentiſſime gregem ſuum alloquebatur, atque ſingulis fere diebus feſtis in chriſtianæ fidei rudimentis exercebat. Valuit oratione, valuit jejunio, atque adeo egenorum ſublevandæ inopiæ amore exarſit, ut totos menſæ ſuæ redditus in pauperes effuſe diſtribueret. Fractus denique laboribus ſeptuagenarius obiit die 20. Aprilis anno 1702. non ſine odore ſanctitatis. Tumulatus fuit in Cathedrali (2)


ADNOTATIONES.

(1) E quibus quæ coacta fuit, an. 1688., ejus Conſtitutiones Bergomi eodem anno publicis formis expreſſæ lucem adſpexerunt.

(2) Laudatus pro funere a Thoma Piantanida Madignani Priore, cujus alia extant litteraria monumenta a Cogroſſio indicata p. 38. ſeq. Hæc autem ejus ſepulcro inſculpta epigraphe legitur.

MARCUS ANTO: ZOLLIUS
NOB: BERGOM: EPUS CREMÆ,
QUI VIRTUTUM SANCTITATE
ROMANÆ ECCLESIÆ
PRINCIPUM AMOREM,
CUNCTORUM VENERATIONEM,
OMNES HONORES MERITUS
NULLOS QUÆSIVIT.
CREMENSEM INFULAM,
QUIA JUSSUS ADMISIT.

POST DATUM PER XVIII. ANN.
VOCE, EXEMPLO, REBUS SUIS
SEIPSUM TOTUM CREMÆ
LABORIBUS IMMORTUUS
DIE XX. APRILIS, AN. MDCCII.,
ÆTATIS SUÆ LXXII.
HIC TANDEM QUIESCIT,
UT AD PEDES DEIPARÆ
UBI SUPPLEX VIVUS,
ETIAM JACERET DEFUNCTUS
JO: BAPTA ZOLLIUS FRATER P.



VII.

FAUSTINUS JOSEPHUS GRIFFONIUS DE SANCTO ANGELO patricius Cremenſis, uti Zollius prudentiam, & ſanctitatem nobiliſſimi viri ſuique generalis Vicarii pernoſcens non ſemel fuerat vaticinatus, in ejus demortui locum a Clemente XI. ſuffectus eſt 25. Septembris an. 1702. plaudente Patria, cum primis autem Canonicorum cœtu, qui eum ſibi Vicarium Capitularem præfecerant. Ipſo inaugurationis die, qui in Kal. Octobris incidit ejus anni, litteras dedit Clero, & populo Cremenſi lectu digniſſimas; tum Urbe relicta Cremam convolavit; ac tertio Kal. Decembris Epiſcopatus poſſeſſionem indeptus eſt. Id a ſe ſtatim Griffonius poſtulari intellexit, ut ad curandam gregis ſui ſalutem ſe totum conferret. Quare univerſam Diœceſim bis luſtravit, deque rebus omnibus ad illam pertinentibus ad Eminentiſſimos Cardinales Tridentini Concilii interpretationi præpoſitos ea retulit diligentia, ut ab illis litteras non humanitatis modo, ſed & ampliſſimarum laudum plenas acceperit. Synodo an. 1727. coacta præclariſſimas ad Cleri Diſciplinam vel confirmandam, vel reformandam leges edixit, atque e patrio Marii Carchani typographio emiſit in lucem. Conſtitutiones etiam tulit Sanctimonialibus, quas *Thereſianas* appellant, an. MDCCXVI. primum a ſe in Cremenſem Urbem invectis, illaſque an. 1727. publica luce Mediolani donavit prænotatas: *Regola del Sagro Ordine della Beatiſſi-*

ma Vergine Maria del Monte Carmelo, *e Conſtituzioni delle Monache del Monaſtero de' Santi Franceſco di Sales*, *e Tereſa della ſtretta Oſſervanza della Città di Crema*, *eretto e fondato con autorità Appoſtolica l' anno di noſtra ſalute 1716*. Seminarium præterea, quo nihil ſanctius utiliuſque ad Clericos litteris ac pietate imbuendos magnis ſumptibus non tam amplificavit, quam a fundamentis erexit. Concionatores ac Miſſionarios, quos ad inſtituendum gregem ſuum aptiſſimos noverat ſæpiſſime acceſebat; nec tamen quo in animarum ſalutem ſtudio ferebatur temperare ſibi poterat, quin ipſemet illum interdum adloqueretur. Servatur etiamnum a ſpectatiſſima Griffonia gente volumen ſermonum, quos aut ad populum, aut ad ſanctimoniales habuit luculentiſſimos. Sed & aliam populi ſui erudiendi rationem Griffonius iniit, eamque longe efficaciſſimam, quæ inquam exemplis continetur. Fuit nempe in eo ſingularis animi demiſſio, terrenarum rerum contemptio, ſui ipſius in externo cultu neglectus, vitæ aſperrimæ conſectatio, erga infenſiſſimos homines manſuetudo, in perferendis morbis, graviſſimis præſertim, quibuſcum aſſidue conflictabatur, podagræ, chiragræque doloribus conſtantia, quas tamen omnes eximias licet virtutes immanis quædam in egenos largitas vicit, ut neque Epiſcopalis menſæ reditibus, nec locupletiſſimis, quæ a ſuis conſanguineis derivabat, ſubſidiis tanto juvandorum pauperum ſtudio ſatisfaceret, auditus ſæpe, quum ſibi nihil amplius, quod iis erogaret, præſto eſſet, ab illis veniam ſubortis fere lacrimis petere, quod abſque uberiore eleemoſyna dimitteret. Dignus tot tantiſque virtutibus fuit vitæ exitus. Nam quum morienti Sanctiſſimum delatum eſſet Viaticum, etſi fractis pene viribus erat, continuo e lecto proſiluit, nec niſi in genua provolutus divino tulit cibo recreari. Tum edita catholicæ Fidei profeſſione, iiſque iteratis David verbis: *ſitivit anima mea ad Deum fontem vivum*, ſanctiſſime obiit 2. Maii an. 1730. Elatum funus incredibili pompa, quam pauperum gemitus augebant. In inferiore autem aræ principis Crypta, quam *confeſſionem* dicimus, tumulatus eſt, hac inſculpta lapidi inſcriptione:

D. O. M.
FAVSTINI IOSEPHI
EPISCOPI CREMEN. SEPTIMI
MORTALES CINERES
VSQVE AD DIEM DOMINI MAGNAM
DONEC INDVANT IMMORTALITATEM
HIC REQVIESCVNT IN SPE
OBIIT DIE II. MAII ANNO SALVTIS MDCCXXX.

Sanctitatem hominis dicitur Deus miraculis quibuſdam illuſtraſſe, ut mirum non ſit, Aloyſium Mocenicum Venetiarum Ducem Cremenſi Prætori, qui ad Senatum de præſtantiſſimi Præſulis obitu per litteras retulerat, reſcribentem dixiſſe: *ſperare Senatum ſe in Griffonio nactum eſſe apud Deum eximiæ virtutis patronum, cujus precibus Venetorum Reſpublica non modo ab interitu vindicanda, ſed etiam ſplendoris, atque amplitudinis acceſſionem ſit habitura*. Quamobrem cum etiam Cleri atque populi univerſi mira quædam contentio adcederet, Calinus Epiſcopus de rebus ab inclyto Deceſſore ſuo præclare geſtis auctoritate ordinaria diligenter quæſivit, & quæſtionis acta ad Sacram Rituum Congregationem perferenda curavit. Hæc cum e Cogroſſio p. 126. ſeqq. prompta a nobis ſunt, tum ex iis litteris, quas idem Calinus an. 1745. ad Cardinalem Valenti perſcripſit monumenta juſſu Benedicti XIV. expoſcentem ad Ughellianam Cremenſium Epiſcoporum ſeriem continuandam opportuna. Quæ tamen, omnia ad Urbani VIII. Romanorumque Fidei Quæſitorum decreta, annis 1622. 1631. ac 1634. divulgata, exigi volumus.



VIII.

LUDOVICUS e Comitibus CALINIS Brixienſis a Clemente XII. 2. Septembris an. MDCCXXX. datus eſt Griffonio in Cremenſi ſede ſucceſſor. Septimum agebat ſuſceptæ dignitatis annum, quum 29. Aprilis, ac duobus inſequentibus diebus, Synodum, Deceſſorum ſuorum exemplo, celebravit; ejuſque, ipſo quo habita eſt, anno MDCCXXXVII. ſaluberrimas edidit Brixiæ Conſtitutiones. Haud multo poſt vehemens illa Cremæ orta eſt contentio, ut Benedicti XIV. verba uſurpem *de Sacrificio Miſſæ lib.* II. *c.* XXII. *n.* 17. *non quidem utrum Sacerdos licite & valide Miſſam celebret, qui ſolus Euchariſtiam ſuſcipiat; notum eſt enim quid ea de re S. Tridentina Synodus definierit; ſed utrum ex præcepto Divino Sacerdos celebrans Miſſam adſtantibus, qui Euchariſtiam bene diſpoſiti poſtulent, teneatur miniſtrare. Multa ex ea controverſia oriri poterant, aut fortaſſe jam orta erant incommoda. Quamobrem ad omnes Italiæ Epiſcopos Encyclicam ſcripſit idem Benedictus XIV. epiſtolam die* 13. *Novembris an.* 1742., *qua laudabat quidem tamquam rem exemplo Chriſti commendatam, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſentaneam, ut Euchariſtia miniſtretur adſtantibus, qui eam ſuſcipere parati ſint; ſed illud etiam monit, nihil niſi bene & rite ordinatum in Eccleſia eſſe debere: unde fit, ut ſi in quibuſdam circumſtantiis minime expedire arbitrentur Epiſcopi, Euchariſtiam in Miſſa in hoc vel illo Altari celebranda adſtantibus miniſtrari, non idcirco adverſus Epiſcoporum juſſa turbæ ſint excitandæ, quas turbas indicia eſſe demonſtravit hominum qui ad Euchariſtiam ſuſcipiendam non bene diſpoſitum animum gerant; cum præſertim non ut primis Eccleſiæ temporibus unica tantum Miſſa ab Epiſcopo celebretur, in qua Euchariſtiam, qui non ſuſcepiſſet, illi non amplius eo die Sacramenti erat copia; ſed tam multæ nunc ſint*

Ec-

Eccleſiæ, tam multa Altaria, tam multi Sacerdotes, tam multiplex denique Miſſarum numerus, ut ſi quis in Miſſa, quæ in Altari celebratur, ubi Epiſcopus juſtis de cauſis vetuerit, ne miniſtretur Euchariſtia, communicare non potuerit, facile illi ſit vel in eadem Eccleſia, ubi Miſſæ interfuit Euchariſtiam ſuſcipere, ſi vel ad Altare accedat, ubi ſine Miſſa præbetur Euchariſtia, vel alteri Miſſæ interſit, ac poſt Sacerdotis communionem Sacramentum accipiat. Atque ea epiſtola in modum Inſtructionis ſcripta omnis de medio ſublata controverſia. Porro Kalendis Februarii an. 1751. CALINUS ſe Cremenſi Epiſcopatu abdicavit, atque Antiochenus Patriarcha ab eodem Benedicto XIV. renunciatus eſt Romæ, ubi etiamnum vivit magna ſui nominis commendatione.



I X.

MARCUS ANTONIUS e Comitibus LOMBARDIS Veronenſis Patricius, principis patrii Templi Archidiaconus quum eſſet, a Benedicto XIV. conſtitutus eſt Cremenſis Epiſcopus Idibus Martii an. 1751., conſecratus autem XII. Kal. Aprilis in S. Ignatii a Cardinali CAROLO REZZONICO, nunc Romano Pontifice; ac pridie Kalendas Novembris ejuſdem anni Cremam advenit. Juſſu Sacræ Congregationis Concilii auctor ſuæ Eccleſiæ Canonicis fuit, ut ſibi Conſtitutiones præſcriberent, quæ etiam FRANCISCI LAUREDANI Venetiarum Ducis decreto firmatæ; ab Antonio Zatta Veneto typographo diligenter excuſæ an. MDCCLXII. prodierunt hoc titulo: *Conſtitutiones Capituli Eccleſiæ Cathedralis Cremæ*. Agit nunc XIII. Epiſcopatus annum, ætatis vero tertium & quinquageſimum, natus quum ſit V. Non. Maii an. 1710. Quod autem Cremenſibus omnibus in votis eſt, illum D. O. M. quamdiutiſſime incolumem ſervet.

CRE-

CREMENSIUM EPISCOPORUM
TABULA
CRONOLOGICA.

		Eligitur	Epiſcopatum abdicat	Moritur
I.	Hieronymus Diedus	Anno 1580 20. Novemb.	Anno 1584	Anno 1585 10. Junii
II.	Jo: Jacobus Diedus	Anno 1584 28. Maii		Anno 1616 6. Junii
III.	Petrus Emus	Anno 1616		Anno 1629 27. Sept.
IV.	Marcus Antonius Bragadenus	Anno 1629 5. Decembris	Anno 1633 10. Januarii	Anno 1658 28. Maii
V.	Albertus Baduarius	Anno 1633 26. Februarii		Anno 1677 28. Sept.
VI.	Marcus Antonius Zollius	Anno 1678 18. Julii		Anno 1702 20. Aprilis
VII.	Fauſtinus Joſephus Griffonius	Anno 1702 25. Septemb.		Anno 1730 2. Maii
VIII.	Ludovicus Calinus	Anno 1730 2. Septemb.	Anno 1751 1. Februarii	
IX.	Marcus Antonius Lombardus	Anno 1751 15. Martii		Anno 1782 16. Januar.
X.	Antonius Maria Gardini	Anno 1782. 29. 7mbris		Anno 1800 9. Septemb. Vicentiæ
XI.	Thomas Ronna	Anno 1807. 27. 10bris.		
XII.	Joseph Sanguctola	Anno		

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA

AVendo veduto per la fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. Angelo Gattelli Inquiſitor Generale del Sant' Offizio di Breſcia, nel Libro Manoſcritto intitolato: *Cremenſium Epiſcoporum ſeries primum contexta ec.*, non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente, per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi; concediamo licenza a Giammaria Rizzardi Stampatore di Breſcia, che poſſi eſſer ſtampato; oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 11. Agoſto 1763.

[*Sebaſtian Zuſtinian Rif.*
[
[*Alviſe Vallareſſo Rif.*

Regiſtrato in Libro a carte 178. al num. 974.

Davidde Marcheſini Segret.

18. Agoſto 1763.
Reg.

Franceſco Gadaldini Segret.

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 102057269